



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

134 Iudaeis licentiae contra constitutiones Apostolicas non sunt
concedendae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

ris, castris, & locis, etiam sub eadem ditione consistentium, Baronum, & Dominicellorum quamcunque jurisdictionem, præminentiam, titulum, seu exemptionem habentium, & ejusdem ditionis temporalis, & status ecclesiastici finibus discedere, & aliò commigrare deberent. Et tam illos, quàm alios, si qui fortasse, ad prædictum statum accedent, jussit in posterum à tota ditione præfata perpetuis futuris temporibus sine ulla spe redditus exulare, ita ut quicumque Judæi, sive incolæ, sive peregrini, præsentis, aut futuri, in quovis dictæ ditionis loco, quando cunque post terminum eidem præfixum, jam elapsum inventi fuerint, rebus omnibus spoliari, & que fisci juribus applicari, & qui ex ijs ætate, & corpore viribus satis firmis ad eam pœnam sustinendam reperti fuerint, ad triremes, quò ad vixerint, damnari voluit:

Quòd quidè in toto prædicto statu ubi
 132 que servari præcepit, † Urbe Roma, Avinionen. atque Anconitan. dumtaxat excep-
 tis, in quibus Judæos incolas, vel eò commigrantes dignis de causis censuit tolerandos, ea tamen lege, ut civitatum prædictarum statuta favorem Christianorum con-
 133 cernentia, † nec non edicta ordinari-
 rum magistratuum, præcipuè verò Pontificum, & aliàs Apostolicas, & canonicas, quæ circa ipsos Judæos aliquid disponunt, constitutiones observent. Mandando, præterea, tam almæ Urbis Vicario, & S. R. E. Camerario, quàm universis omnium locorum ditionis Ecclesiasticæ Ordinariis, Legatis, Vice legatis, Præsidibus, & Gubernatoribus pro tem-
 134 pore existentibus: † quatenus eorum unufquisque ea inviolabiliter observari

curet: nec quidquam super ijs tolerare, indulgere, aut permittere, vel licentias alias quas concedere præsumant: sed contra quoscunque inobedientes, ac transgressores omni severitate animadvertant; contra traditores per opportuna juris, & facti remedia appellatione postposita compescendo, ut in litteris ejusdem Clementis Papa VIII. v. Kal. Martii 1592. expeditis, & impressis, ac de more publicatis.

Sæpè quæri solet, an Judæi filii ad Christi fidem conversi, teneantur alimenta præstare; Et responderetur affirmative, quia pater, & mater infideles † tenentur filiæ fideli dotem, & filio Christiano donationem propter nuptias, & utriusque alimenta secundum facultatem patrimonii præstare, per text. in l. cognovimus, ubi etiam Salic. C. de heret. & manich. glol. in l. neque matri pro filia, C. de jur. dot. & ibi Bald. numer. 2. Quinimo quia donatio propter nuptias non est hodie communiter in usu, loco ejusdem donationis † Judæus pater tenetur dare filio effecto Christiano legitimam, quæ illius loco succedit, pro qua facit text. in cap. Judæi, de Jud. & Sarrac. & deducta per Franc. Aret. in repert. in vers. Judæi filius, in fin.

Quòdque Judæorum filii familias, & in patria potestate constituti legitimi, & quacunque alia portione bonorum patrum, aut maternorum: de jure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum parentes fraudari, aut privati non possint, neque debeant, sed eis integrè, etiam si contra voluntatem parentum suorum ad fidem conversi fuerint, etià eorum parentibus viventibus, debeantur, statuit Pauli.